

De his verificatur illud: Stella cecidit de celo in puteum, & ascendit fumus, ita, ut obscuraretur sol: stella Satan est per peccatum, puteus cor hominis, sol obscuratus privatio luminis gratiæ, & misericordiæ. (Vide Mich. a Calvo conc. 29. §. 1. n. 5.) hujus cœcitatæ causa est fumus superbiæ, & pulvis terrestrium bonorum, juxta illud Apocalypsis: occisa est tertia pars hominum de igne & fumo. Item Baruch: oculi eorum pleni sunt pulvere, & sic in tenebris, quasi in luce ambulat, ut ait Job. Impiissimus Herodes voluit in Christo videre thaururgum Messiam, & impietate depravatus decrevit in illo videre stultum alba veste delusum. Ibidem.

Quam grande malum sit, pervertere animam.

3. Et qui preibant, increpabant eum, ut taceret, ille autem multo magis clamabat. Luc. 18. Homo Christianus non sibi soli, sed & aliis vivit; ad servitatem Dei, & æternam salutem, verbo, & exemplo etiam alios promovere viribus omnibus debet. Mandavit unicuique de proximo suo! diliges proximum tuum sicut te ipsum, quam male igitur agunt, & ab æterna damnatione haud procul absum, qui proximum a bono avertunt, & ad malum instigant? Perspiciamus utriusque periculum. 1. Damnabile est, proximum a bono avertere: Id fecit hodiernus populus, qui cœcum pro lumine oculorum suorum clamante, & orante, tacere iusserunt! Id faciunt hodie multi, qui risibus, cachinnis & sibilis aliorum devotionem explodunt, templorum frequentiam, ipsamque Verbum Dei tanquam aniles devotiuiculas contemnunt. Verum o quam bene egit cæcus, quod populi increpationes non curaverit! sanitatem oculorum obtinuit, quam, si tacuisset, non fuisset obtenturus. Tu mi Christiane fac similiter, Dei potius quam populi vocem sequere: &c. 2. Adhuc damnabilis est, proximum ad malum provocare. Idque frequentissime fit hoc tempore Bacchanaliorum! invitantur animæ, etiam innocentes, ut loco templi, secum abeant ad choreas, ad comotationes, ad nugas impudentes, & quoties proh dolor fit, quod hæc ex respectu humano diabolus, non Christum sequantur? O infelix anima, despice respectum humanum! respectus humanus dedit alapan Christo, crucifixit Christum, & in causa fuit, quod multi

ex Principibus, qui crediderunt in eum, propter Phariseos non ausi sint confiteri Christum. Et tu tam crudelem consilium consilio adhibebis? Vide Tit. Respectus humanus. Item Paciuchell, in Johanna Lect. 4. n. 26. Item P. Segneri Manna 31. Julii. Et Quadragesimæ. Sermon 8.

Dominica I. Quadragesimæ.

De tentationibus vincendis.

1. **D**UUS est JESUS in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. 4. Certum est, quod militia sic vita hominis super terram, in qua ad ultimum fere halitum contra mundi, carnis, & dæmonis tentationes pro Deo pugnare debet. Cum igitur nihil frequentius sit, quam quod peccatores victorum suorum culpam in tentationes rejiciant, inculcabo miseris ex S. Anselmo tres veritates, quid sentiendum sit de tentationibus, & quid agendum? Prima veritas est, Tentationes non sentire Angelicum est. Soli Angeli immunes sunt a tentationibus; quia nullis passionibus agitantur, in gratia confirmati, & a Deo hominibus in tentatione auxiliatores constituti sunt. Cum igitur, mi homo Christiane, in moribus & vita Angelus non sis, frustra desideras a tentationibus esse immunis. Apostolus Paulus vitam angelicam vixit, & tamen sensit aliam legem in corpore, repugnantem legi mentis suæ. Secunda veritas: Tentationes sentire & vincere Christianum est, imo obligatio est, ut per sedulam pugnam mereatur coronam, ut anima ejus per unionem elaboretur, in lapidem celestis Solyms, ut fidem in Baptismo juratam Christo integram servet. Remedia habet efficacissima, fugam occasionum, mortificationem passionum, orationis frequentiam, laborem, & alia &c. Tertia Veritas, Tentationibus consentire, diabolicum est. Diabolus Dei adversarius est; omnia ejus molimina in id collimant, ut Ecclesiam destruat, quam Christus sanguine suo edificavit. Dic Christiane, an in opere tam nefario diabolo operam conferes? absit hoc a te! si omnia regna mundi tibi offerret, noli consentire peccato; quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patitur? Vide Tir. Tentationes, Concupiscentia, Diabolus! &c.

Cur

Cur bellum spirituale contra tentationes infeliciter geratur?

2. Et accedens tentator dixit ei: Matth. 4. Importunus tentator, qui Christo non peperit, nemini parit; quotidie accedit, quotidie pugnas instaurat. Quomodo ergo pugnandum est, ut vincamus? Respondeo; ita pugnandum est, ut scite & prudenter arma tractare sciamus, juxta effectum Sapientis: *Melior est sapientia, quam arma bellica.* Hæc sapientia multi carent, & ideo vincuntur; quia multos in bellando errores admittunt. Agite, ut discamus pugnare contra tentationes quotidianas, consideremus hos errores haud paucos. 1. est, quando arma sunt nimis onerosa, id est, si austeritas sit indiscriminata; ita enim certandi strenuitas perditur. 2. Quando arma non ante, quam primum in pugna queruntur. 3. Quando pugnas ex illa parte, ubi acrior est conflictus, se protegere negligit, & ubi periculum minus est, se munit. 4. Quando differtur hostem percutere dum parvulus est, & sic crescere permittitur. 5. Cum arma in ipsa pugna abijciuntur ex diffidentia, aut pusillanimitate. 6. Cum pugnas contra adjuutores pugnat, & eorum adutorio, aut consilio resistit. 7. Cum cominus pugnat cum hoste, qui minus vinci deberet. 8. Cum pugnas non vult contraria contrariis oppugnare. 9. Cum clypeo perforato utitur. 10. Cum operose hostem aggreditur, quem certius, securiusque sine ictu superare posset. 11. Cum de aliena morte fiduciam vitæ sumit. 12. Denique dum seipsum ulero vulnerat, & occidit. &c. &c. Vide Speranzam Scrip. Select. Punct. 37. &c.

De fallaciis diaboli tentantis.

3. **D**UUS est JESUS in desertum a Spiritu. Matth. 4. Grandis infelicitas, quod JESUS hodie a civitatibus recedat in desertum! Et hanc infelicitatem per omnes suas artes & machinationes intendit diabolus, videlicet, ut animabus Christum, ejusque gratiam eripiat. Hunc in finem suadet bonum ex malo fine, suadet malum sub specie boni. Dissuadet bonum tanquam nocivum, dissuadet malum minus, ut ducat ad pejus. Perpendamus fallacias, & deceptiones tentatoris, ne discamus aures animique obturare ejus suggestionibus. *Prima deceptio diaboli est:* Ostendit solum quod delectat, & studio.

D. Claus. Spirit. univers. Pars III.

se occultat, quod affligit & cruciat. Sic Christo Domino in monte cum plausu exhibuit omnia regna mundi, & gloriam eorum: verum de calamitatibus, moribus, fame, bellis, & mutatis perfectionibus populorum, quibus hæc regna turbantur, non mentionem quidem fecit. Sic & de cepit quondam Israelitas, quos ut rebellionem contra Moysen inflammaret, & in Ægyptum retraheret, ollarum tantum, non laboris, & mancipiorum communio. Vide Barz. Sermon. 4. n. 3. & seq. Item Tir. Dæmon, Tentatio &c. *Alter deceptio diaboli est,* quod peccatores ad grandia crimina audaces faciat, sub spe Misericordiæ Divinæ, quæ illis extraordinario auxilio esse subventura. Sic Christo Domino in summitate montis fuisse: Mitte te deorsum! utque persuaderet, communit, Deum & Angelos suo auxilio non illi defuturos. O quoties impostor repetit illud: Mitte te deorsum; de quo S. Ambrosius ait: Vere diabolica vox est; quia, ut subjungit Bernardus: Deus sum, & Angelorum auxilium, non in precipitiis, sed in viis promittit. Vide Barz. serm. 12. num. 4. *Tertia deceptio tentatoris est,* quod liberaliter promittat felicitatem, quam præstare nequitiam potest. Sic Christo Domino promissionem fecit: Hæc omnia tibi dabo, sed falsissimo! quis enim potestatem dedit diabolo omnium regnorum? sed esto etiam illum Dominum esse totius mundi, tamen deceptor, & scycophanta est; Nonne enim hætenus per quater mille annos peccatores magnis promissionibus tentavit? An præstitit, quod promittit? si præstitit, jam non potest promittere omnia! si nihil præstitit, quis jam nunc, post tot inania promissa, fidem illi adhibere poterit? nempe, ut ait S. Chrysologus: *Hæc dicit, non quod possit dare, sed fallere.* Vide Barz. Sermon. 14. nu. 14. Sed ponamus ultro, quod possit dare, quod promittit, quanti tandem valent mundanæ opes? Deus in Levitico præcepit, ut bona, & prædicia tanto minore pretio venderentur, quanto propinquior est annus jubili; quia ibi omnia bona revertebantur ad primos possessores. Considera ergo, mi Christiane, quando annus jubili, id est, mors tua ventura sit? Ah! forsitan haud procul abest. Cur ergo tam caro emis bona terrena, & quæ brevi post relinques? cur fidem das diabolo, & Deo summo Bono tergum vertis? Vide Barz. Sermon. 17. num. 25. Item Sermon. 49. §. 3. & seq.

S

Domi-

Dominica II. Quadragesimæ.

Quomodo, & quibus ex motivis adversitates patienter sufferende sint?

1. Assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit illos in montem excelsum. *Matth. 17.* Mysteriosa questio confurgere potest ex hodierno Evangelio, quare Dei Filius in monte Thabor, glorificandus, ex omni Apostolorum numero, hos tres præ ceteris elegerit, Petrum, Jacobum, & Joannem? An forsitan, ut eos ad excellentiorem virtutem præ ceteris extolleret, & confortaret, quia Petrus electus est, ut esset primus in Regimine, Jacobus primus in Martyrio, & Joannes primus in Dilectione? Est hæc conveniens ratio. Verum audite, quid sentiam. Deceverat Mundi Redemptor, quod hos tres Apostolos secum in montem Oliveti ducere vellet Petrum, Jacobum, & Joannem, ubi amaritudinæ Passioni suæ initium erat daturus: ut ergo illos ad tristissimum spectaculum, periculumque roboraret, illos prius ad intendendam suam gloriam in monte Thabor assumpsit, nihil enim magis confortat ad perseveranda adversa, quam recordatio, & intuitus cælestis gloriæ. (Vide Mansi v. Beatitudo Discurs. 21. n. 9.) Mi Christiane, quid tibi frequentius, quam conquiri contra adversitates, quas pateris? Age, dabo rationes, quibus opus, ut putas, intolerabile alleviare tibi possis. Prima ratio excitandi animum ad serendas generose adversitates, est recordatio culpæ, seu peccatorum, quibus meritis es peccatam, id est, afflictionem a Deo immisam. O quam enormia, quam numerosa sunt delicta, quibus Deum offendisti? cum ergo unum peccatum sit infinitæ malitiæ, & infinitam mereatur penam, an conquiri vis, quod Deus a te exigat satisfactionem in hac vita, ne æternam exigere cogatur in altera? &c. Secunda ratio alacriter ferendi adversitates est spes & confidentia auxilii Divini: non solum fas opus, sed gratia Dei tecum! gaude, quod tam fidelem habeas adiutorem. Tertia ratio est consideratio æternitatis! perpende, quid, quantum, & quamdiu in inferno patienter peccatores tui similes, aut multo innocentes! tua afflictio finem habet, & foras paulo post illi autem in suppliciis æternis erubunt. Quarta denique ratio est intuitus æternæ mercedis, quam promereri potes tua pa-

tientia & resignatione! cum aliquando centenis & amplius annis Deo fueris in cælis, gaudebis te multa passum fuisse, obrasque te passum fuisse plura, & incomparabiliter graviora. Vide P. Segneri Manna 13. Martii n. 1. & seq.

De paupertate salvandorum.

2. Assumpsit Petrum, Jacobum, & Joannem. *Matth. 17.* Ex toto Apostolorum Collegio, quare tam paucos? Nonne Christus Dominus, prout loquitur Ludolphus Carthusianus, omnes hominum status commendare, ostendereque voluit, neminem ex quocunque statu hominum non posse salvari? Nam per Petrum designatur conjugati, per Jacobum Pauperes, per Joannem Virgines, per Moysen Prædici, per Eliam Theorici. Quicquid de hoc sic! aliter sentit S. Ambrosius loquens: Dominus paucos secum dedit ad intendendam suam gloriam, ut ostenderet, ex omnibus hominum status paucos esse, qui ad cælestem gloriam sunt assumendi. (Vide Speranzam Scripsi. fel. punct. 132.) Scriptura sacra de hac veritate multas insinuat figuras. 1. Per Arcam Noe ex universo humano genere tantum octo animæ fuerunt salvatæ. Ex Ægypto eierunt sexcenta hominum millia, & tantum duo venerunt in terram promissionis. Vide Speranzam. Ibid. & Mich. a Calvo conc. 36. §. 3. num. 7. & alios. 2. Suffragantur astra multi veniunt, sed ad cælestem regnum pauci perducuntur. 3. Accedunt Histories. Inter triginta millia, qui cum S. Bernardo moriuntur, tantum duo salvantur. Vide Speculum Exempl. V. Damnatu, num. 1. 2. Item V. Prædestinatio. Item Barz. Serm. 47. n. 37.

Cælestis gloria non obrinetur sine labore & meritis.

3. Duxit illos in montem. *Matth. 17.* Cur Christus Dominus gloriosam suam transfigurationem non ostendit in aperta campi planitie? cur in monte Thabor? Nimirum ut demonstraret, cæli gloriam obtineri non posse sine ardua montis ascensione; laborandum est, anhelandum est, sudandum est! hinc Christus Dominus illos ipsos Apostolos, quos in horum Oliveti ad passionis suæ transfigurationem duxit, etiam in montem transfigurationis assumpsit. Scito, mi Christiane, qui com-

Ludolph.
Carth. ap.
Hedinger
Don. 7.
Epih.

S. Greg.
hom. 19.
in Evang.

mode, ac deliciose vivere amas, cælum non obtineri sine labore, ac certamine! Invenire 1. Sanctos Apostolos, qui fidem Christi Evangelizando totum orbem percurerunt. 2. Sanctos Martyres, qui terribilia tormenta pro gloria Dei exantlarunt. 3. Sanctos Confessores, qui in eremis & speluncis oratione, jeuniis ac lacrymis die ac nocte se macerant. 4. Sanctas Virgines, quæ procul a mundo in solitudine, contra carnis, & demonis tentationes usque ad mortem pugnarunt, &c. Vide Tit. Beatitudo, Sancti &c. Regius Psalmista David interrogat: *Quis ascendit in montem Domini?* & sibi ipsi respondet: qui non accepit in vanum animam suam! quid est, in vanum accipere animam? Respondetur: in vanum est velis in cæsa, in vanum lampas extincta, in vanum gladius in vagina: ita in vanum accipit animam, qui eam non dirigit, & operibus non exercet ad finem, ad quem creata est, uti sunt, qui anima, ejusque potentis abutuntur ad vanitates, ad voluptates, ad otium, ad acediam, & de cetero cæsi, ad quod nati, factique sunt, obliviscuntur. Cum aliquando Christiani ad portam cæli venientes admitti cupiunt, conserget questio inter Angelos: Hi qui sunt & unde venerunt? si responsio huic interrogationi reddatur: Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione! hi sunt, qui contra mundum, carnem, & dæmonem strenue pugnarunt! hi sunt, qui orationibus, jejuniis, & elemosynis vacarunt! hi sunt, qui cruce, morbos, persecutiones, & injurias pro Deo patienter tolerarunt! tunc infonabit mandatum: Attollite portas! O felices, quibus beata hæc fors obigerit! &c.

Dominica III. Quadragesimæ.

De malitia, & infelicitate relapsus.

1. Assumpsit septem alios spiritus secum nequiores se. *Luc. 11.* Peccare, grande malum, sive Deum offensum, sive offendentem, ipsiusque offensæ supplicium species. Verum post peractam penitentiam, impetratamque remissionem, relabi in idem peccatum, incomparabiliter gravius malum est; quia relabens seprecepticem malitiam committit, conformiter ad illud sapientis monitum, ubi ait, fidendum non esse inimico, utut amicum se simulet. *Ne credideris ei, quoniam septem nequiores sunt in corde illius.* Has autem septem nequities describit S.

Antonius Paduanus, cujus verba sunt: Anima recidiva septem transgressiones committit: 1. fracturam foederis. 2. Substantionem Misericordiarum. 3. Contumeliam Sacramenti. 4. Ingratitudinem veniæ. 5. Iniquitatem retributionis. 6. Perditionem Dei. 7. Malitiam transgressionis. Vide Tit. Relapsus. Item Barz. Serm. 60. §. 1. 4. & 6. ubi porro de damnis peccati transgressionum. O quam verum est pronuntiatum S. Chrysolomi, de relapsu dicentis: *Jam enim non simplex peccatum est, sed duplex & triplex.* Erunt posteriora pejora prioribus!

S. Chrysol.
Hom. 1.
in Act.

De causis relapsus tollendis, & emendandis.

2. Revertaris in domum meam. *Luc. 11.* Damnabilis est impudentia infernalis inimici, quæ animam penitentem, & Deo reconciliatam, *domum suam vocat*: qua fronte, & audacia id agit? Respondet Paulus Granatenus: *Si hostes nostras in nobis habet, qui arcem se illi daturus promittunt, mirum non est, quod domum suam dicat*; indubitanter enim sperat, se illam paulo post iterum occupaturum. Quinam sunt illi hostes? 1. Respondet idem Auditor, est otium & tepiditas, quæ hosti intrare volenti facile portas aperit. 2. Est mala occasio & familiaritas, quæ pedis suis incautum ad nefas retrahit. (Vide Barz. Serm. 60. num. 14.) 3. Est negligentia vincendi inimicas passionis, quæ sunt origo mali! quid juvat, demerere, aut avellere zizania? nisi radix evellatur, iterum pullulant. Quid juvat ab arancum telis cubiculum purgare? nisi aranea ipsa occidatur, cras in muris eadem telarum sordes apparebunt. Ibid. num. 15. Vide Tit. Relapsus, &c.

Deus per penitentiam expellit triplex dæmonium.

3. Erat JESUS eficiens dæmonium. *Luc. 11.* Utinam experirent homines & intelligerent infelicitatum statum hominis peccatoris! ille revera secundum animam cæcus est, quia dæmon illi lumen rationis extinguit, ne videat, quæ videre deberet. Mutus est, quia dæmon illi linguam ligat, ne confiteatur. Surdus est, quia dæmon illi aures obstruit, ne salutaria monita audiat. (Vide Mich. a Calvo conc. 19. §. 1. 2. & 3.) Quid in hoc statu deest infelicitissimo peccatori, quam des-

peratio, & æternum exitum? verum age, admirare immensam Dei Misericordiam, qui triplex hoc demonium eiciens, peccatorum per penitentiam gratiam ex abyfso damnationis ad spem salutis reducit. Hæc enim Misericordiam gratia, 1. oculos miseri cæci illuminat, ut veritates æternas, & fidei lumen aspicere incipiat. 2. Linguam illi solvit, ut ad laudes Dei, & peccatorum confessionem, & tæcna prius ora aperiat. 3. Aures illi aperit, ut monita Verbi Dei externa, & inspirationes internas audiat, sicque ad veram penitentiam, & querendam animæ salutem respiciat. Vide Titul. Misericordia Dei, Penitentia, &c.

De noxia, ac peccaminosa taciturnitate
mutorum.

4. Et illud erat mutum. Luc. 11. Sicut canes domestici, muti ac taciturni domi nocent, dum casu, quo fores ac latrones domino domus noctu insidiari audiunt, non latrant; ita nihil nocivus est mundo, quam cum illi homines muti sunt, qui vel maxime debent esse loquaces; sua enim taciturnitate demonem insidiantem audaciorum faciunt, ad multiplicanda peccata. Horum mutorum tria sunt genera inter Christianos. Primo sunt *Timidi*, qui publica vitia debent reprehendere, uti Patresfamilias, & Superiores, & illa ex respectu humano, aut metu perfectionis dissimulant; hi non solum contra præceptum correctionis fraternæ gravissime peccant, sed insuper omnium peccatorum, quæ dissimulant, coram Deo se reos ac participes reddunt. Secundo sunt *Sacrilegi*, qui peccata sua, maxime impudica, in sacramentali confessione subicunt, non sine risu, & exultatione diaboli: nequissimus hic spiritus, cum sciret, quod peccatum *verecundiam* habeat, penitentiam autem *fiduciam*, ordinem pervertit, penitentiam dedit verecundiam, & peccato fiduciam. Hi miseri non solum fœderissimum penitentiam remedium in salutem animarum institutum, in suam perniciem profanant, sed insuper, dum hodie coram uno homine salubriter confunduntur nolunt, coram Deo iudice confundentur perniciosè. Tertio sunt *Ingrati*, qui ex officio Deo laudes cantare, rudes instruere, errantes in viam virtutis reducere debent, & tamen muti ac fœderis Dei gloriam, & animarum salutem negligunt, & sic fontes Divinæ Misericordie sua negligentia obstruunt, sibi que

& aliis damna tam temporalia, quam æterna irrogant. O quam grave iudicium miseri hi subire debent! Vide Tit. Acedia, Tepiditas, &c.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Panis quotidianus comparandus hominis
labore, & Dei Benedictione.

1. Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, ne pereant. Joann. 6. De duodecim cophinis fragmentorum, quæ hodie post saturatum populum superaverunt, adhuc hodie dum Divinam Providentia pascit omnem populum, qui a duodecim tribubus Israel generatione descendit, & a duodecim Apostolis ad Christi fidem conversus est, id est, universum orbem. Non est buccella panis in orbe, quæ non descendit a Deo totius humani generis Nutritio! Verum adverte: Christus Dominus præcepit: *Colligite fragmenta!* non voluit illa aservari per Angelos, aut per suam potentiam, sed præcepit Apostolis & populo, *Colligite!* ut indicaret, hominem cooperari, & laborare debere pro pane colligendo. Laborandum est, hæc prima pars sermonis! quodsi homo labore deficiat, sperandum est nutrimentum a Providentia Dei, hæc altera pars! 1. Deus Adamum in paradiso præcixit perizomatis, præcepitque ut terram foderet, & panem in sudore vultus sui lucraretur. Igitur homo ad laborem natus est, sicut avis ad volatum! Quæso, si avis, v.g. corvus prætenderet, quod sine conatu alarum, ab Angelo in aere circumferri deberet, quam absurdum id foret? absurdum non minus est, si homo a Deo sine labore velit nutiri! hinc Christus exprobravit illis in foro: Quid statis hic otiosi? & alias aridam mansum sanavit pauperulo, ut laboraret, & non pretextu manus mendicaret. (Vide Tit. Labor Hominis, Nutrimentum Hominis.) 2. Quodsi homo labori, aut labor homini deficiat, tunc enimvero non deerit Providentia, ut miserum nutriet. Juvenes corvi, dum ex ovis excluduntur, adhuc implumes albescunt: id videntes, nigra mater & pater, putantes partum esse spiritum, illos deserunt. Verum Dei Providentia, quæ etiam ad infima animalcula se extendit, dicitur illos rore pascere, & conservare, donec plumescant. Si Deus tam bonus est erga abjectissimam volucrem, quanto magis hominem infirmum, sua

In esu panis quotidiani homo respicere debet Deum, seipsum, & proximum.

3. Distribuit discumbentibus. Jo. 6. Beneficium, quo Christus Dominus hodie famentem populum satiavit, Deus quotidie renovat in conversatione, & nutritione totius humani generis. Non est bolus panis in ore tuo, non est nummus in crumena tua, qui non ventat a Deo. Operæ igitur pretium est, ut Christiane, ut instruat te, quomodo his mediis temporalibus ad tuam salutem uti possis ac debeas! nempe respicere debes Deum, teipsum & proximum. 1. Respicere Deum! id est, panem quotidianum a Deo sperare, & humiliter petere debes, qui segetes crescere facit, & implet omne animal benedictione. (Vide Nutrimentum Hominis) Contra hoc principium errant ingrati, qui suas divitias arti suæ, industriae suæ, & ingenio ascribunt, jababunde dicentes: Ego mihi, & meis panem abundanter procuro! Falleris miser! Non tu, sed Deus procurat, qui in momento per infortunium, incendium, rapinam, aut morbum posset te redigere ad paupertatem, &c. 2. Respicere Teipsum! id est, hoc pane, quo frueris, non ad voluptatem, & ingluviem, sed ad necessitatem, & singulitatem utere, &c. Contra hoc principium errant immisericordes, qui nullam pauperum curam habent, audire aliquando terribile illud: Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Vide Tit. Eleemosyna, &c.

Dominica Passionis.

De triplici infelicitate peccatoris.

1. JESUS autem abscondit se, & exivit de templo. Joann. 8. Grandis infortunium contingere non possit orbi, quam si lucidissimus Mundi oculus Sol exingueretur. Heu! quanta in tenebris confusio, quantum in actionibus humanis chaos, quanta in terra sterilitas, quanta in civitatibus & regnis confurgeret tristitia & lamentatio. Idem proportionaliter infortunium contingit peccatrici animæ, a qua Christus cum

D. Claus Spicil. univers. Pars III.

via gratia recedit. Consideremus hanc infelicitatem! 1. *Infelix est, qui peccatum committit*; quia Dei Filium, gratiam caelestem, jus hereditatis aeternae amittit, & in diaboli, inimici infensissimi, potestatem incidit. Vide Tit. Peccatum, Peccator! 2. *Infeliciores est, qui in peccato perseverat*; quia gratiam conversionis contemnit, & ipso facto indicat, sibi dulces esse jugum dæmonis, quam Christi. Vide Tit. Peccator inveteratus, &c. 3. *Infelicitissimus est, qui in peccato communit*; quia caelestem medicinam convertit in venenum, & Christum in impuro corde cum diabolo confociat. Vide Tit. Eucharistia, Communio Sacra &c. Pugnemus ergo contra tentationes, ut non peccemus! Acceleremus poenitentiam, ut recuperemus gratiam amissam! Vincamus in confessione verecundiam, ut non indignè accedentes ad communionem, iudicium & damnationem manducemus. Vide Tit. Poenitentia, &c.

Nullas hominum status est sine nevo peccati.

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8. Vere Filius Dei, Redemptor noster Sanctissimus & innocentissimus provocare inimicos suos summa cum veritate potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Latrent Judæi, accusent Pharisei, condemnent Pontifices, vociferetur populus: Crucifigatur, reus est mortis! est seductor, potator vini, in Belzeub eiecit dæmonia, clament hoc, & effrata bile evomant calumnias! Christus innocentissimus est, nemo poterit illum arguere de peccato! An plures sunt hominum status, qui idem de se iactare possint? Indagemus! 1. Ingrediamur aulas Regum, ac Principum, veneremur hos Deos terrestres, & qui bus pax ac tranquillitas temporum, atque salus subditorum dependet! solliciti utique sunt, viresque omnes impendunt pro Deo, pro Ecclesia, pro populo! Verum non sunt sine nevo! per adulatores, ac parasitos in transversum se agi sinunt, non sine damno totius regni! &c. 2. Lustremus curias, ubi Magistratus & iudices pro tribunali sedent, & querelis litigantium aures præbent: Omnino præbent: sed quoties proh dolor! aures obturantur auro! triumphat dives, quia non lingua solum, sed manibus loquitur, succumbit pauper, quia lingua quidem disseruit, manibus autem mutus est. 3.

Videamus quid agant Advocati? pro causa clientum erudit ac potenter perorant, sed licigia per menses & annos protrahunt, ut suam crumenam faginent, & alienam emungant. 4. Ascendamus ad arces Nobilium! Illi quidem modestim ad extra spirant, & bono utrunque exemplo prærent. Sed ut fastium ultra itatum prorogent, debita ultra vires contrahunt, & subditos inclementer emungunt ad inopiam, & mendicitatem redigunt. 5. Forsan Mercatores sunt meliorts farinae? optandum id maxime, quia laboribus, ratiociniis, itineribus, & periculis sine fine fatigantur. Verum dicitur, quod mercatores corrumpant, quod locra ultra dimidium capebant, quod promissis decipiant, & inulta non refundant. 6. Quid agunt cives, opifices, rusticis? Pro panculantando & sollicitanda familia strenue laborant, sed quod triduo lucrant una die obligant, dein crapuloliosam domum furtis implent, de cetero educationi prolium & curæ famulorum parum invigilant, suaque hac negligentia multorum scelerum causa sunt. 7. Faxit Deus, ut saltem pauperes in virtute sint excellentes; quia ipsa paupertas est magistra humilitatis, & capistrum contra vitia! verum o quot sunt, qui amant esse pauperes, ut possint esse otiosi, corpore & ætate validi ac robusti sunt, & tamen fingunt infirmitates, quas pigritiæ ut pallia obtendere, & aliis vere indigentibus elemosynas suffurari possint, &c. En! a primo ad ultimum nullus est hominum status, qui sit sine nevo! nemo potest dicere cum Christo: *Quis arguet me de peccato?* Bene! Bene! oblatat hic nonnullus: Etiam Sacerdotes non possunt hoc dicere! Forsan verum loqueris! At mecum non est Sacerdotum mores hic carere, quorum ego minimus sum! Rogemus Deum unanimi corde, ut gratia sua omnes Christianos in vite suæ statu ita confortet, ut saltem olim in iudicio contra accusatores suos dicere confidentur possint: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Vide Michael. a Calvo conc. 33. §. 1. n. 13. Item Tit. Status Hominum Sacri, & Profani, &c.

De sacrilega Communione, terribili scelere.

3. *JESUS abscondit se, & exivit de templo.* Joann. 8. Peccator sacrilege communicans, reus est læsæ Divinæ Majestatis, & Judæi proditori simillimus, qui fur erat, & latro. 1. Sacrilege communicans

Fur

Fur est, quia Divinum Corpus pretiosissimum invita Dei Matre, invito Divino Patre, & Spiritu Sancto furatur, reus corporis, & sanguinis Domini. 2. *Latro est*, quia atrociorē mortem Christo infert, quam Judas intulit; in morte enim crucis Christo solatium fuit redemptio humani generis; in hac autem morte, quam Sacrilege Christo in Eucharistia infert, non aliud solatium capere potest, quam triste illud, quod colligit iustitia Divina, cum æterno supplicio vindicabit scelus, &c. &c. Vide P. Sagneri in Institut. Parochi c. 15. §. 1. &c.

Dominica Palmarum.

De fallacia mundani honoris.

Hofanna Filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21. Sic Mundus agit! Nulla seculorum historia mundani honoris inconstantia ac falsitas magis elucet, quam hodierno Christi ingressu in urbem Hierosolymitanam. Sicut enim Divino Redemptori hodie quadruplex honor fuit exhibitus; ita paucos post dies quadruplex erit illius ignominia. Audiamus! condoleamus! & mundanos favores contemnere discamus! 1. Honor fuit Christo Domino personaliter delatus, quia in propria persona populus illi obviam processit. Ita postea personaliter ipsam despexerunt, & ad crucem, tanquam mortis reum magno cum tumultu poposcerunt. 2. Sicut nunc verbis laudaverunt: Hofanna Filio David, Benedictus qui venit! &c. Ita postea injuriis verbis contra ipsum clamant: Crucifige! crucifige! 3. Sicut nunc triumphali pompa, & ramis palmarum in via stratis ipsum glorificaverunt: ita postea catenis, flagellis, virgis, sputis, spinis, clavis, ac blasphemis inhonorarunt. 4. Sicut nunc illi ingredienti vestimenta sua substerunt: ita postea ex urbe ignominiose expulso propria vestimenta diripuerunt, &c. Compariamur mitissimo Salvatore, & deridemur, fugiamusque fallacis mundi inconstantiam, &c. Vide Speranzam de Pass. Dom. punct. 27.

Meditatio, cur Christus Dominus inclinatio capite mortuus sit?

2. *Ecce Rex tuus, tibi mansuetus.* Matth. 21. Incunte Sacra hebdomada, animos nostros ab omnibus mundanis affectibus

alienos, Dominicæ Passionis meditatione occupemus! consideremus *Opus*, & admiremur Domini patientiam! consideremus *Modum*, & admiremur Domini humilitatem! consideremus *causam*, & admiremur infinitam Redemptoris caritatem. Præcipue vero attollamus oculos in Crucifixum! *Ecce Rex tuus, tibi mansuetus!* Ab omnibus delectis, vulneratus, sanguine perfusus, inclinato capite, dididit Spiritum! Agite! hac materia hodiernæ meditationis esto, cur Christus Dominus mortiens caput inclinaret! Dabo rationes! Vos ad fructum attendite, quem exinde ertere debetis! 1. Christus inclinatio capite mortuus est, ut demonstraret gravitatem peccati! Peccatum tam ponderosum est, ut rebelles Angelos per undecim cælos in infernum deprefferit: cum ergo Christus illud voluntarie in se ad satisfaciendum Divino Patri assumpsisset, tam graver cervicis & capitis Crucifixi incubuit, ut pondere suo illud deprefferit, & ad pectus usque inclinaret. Mi Christiane, disce peccatum, malum gravissimum odisse, & declinare, &c. 2. Christus inclinatio capite mortuus est, ut ostenderet pauperitatem; non enim habuit, ubi spinis coronatum caput reclinarat. Obstupescat cælum & terra! Mundi Conditor & Dominus, non habet ad obsequium unicum calcitrant, ubi dolorosum caput reponeret! Disce amare pauperitatem, & a rebus omnibus transitoris affectum avelle, ut Christo pauper conformeris. 3. Christus inclinatio capite mortuus est, ut Divino Patri, & toti mundo probaret suam humilitatem! caput hoc adorabile est cælo & terræ, atque exaltari dignum super omnes choros Angelorum, Christus Crucifixus tamen illud in reverentiam Patris ad terram deprime re voluit, ut peccatores illi commendaret. Disce, intrinsece tui nihil te ipsum despiciere, & reputa te, qualis forsan es, peccatorum omnium maximum. 4. Christus inclinatio capite mortuus est, ut gratitudinem suam Divino Patri exhiberet pro opere Redemptionis, gratias etiam ageret crucifixoribus suis pro tormentis, quæ sibi paulo post immensam in cælis gloriam erunt paritura. Disce Domino Deo etiam pro adversis gratias agere, gaude de cruce & afflictione tua, quæ tibi erit meritum ad caelestem coronam! &c. Vide Speranzam de Pass. Dom. punct. 27. Et punct. 36. Item Titul. Passio Christi, &c.

Hebdomas sancta in sanctis virtutibus transgenda.

3. *Cura appropinquasset JESUS Jerosolymis. Matth. 21.* Hebdomas major dicitur sancta, ut antix nostrae memoria Dominicae Passionis sanctificetur. Haec sanctitas autem consistit in conformitate cum Christo Patientie, ad quam nos hortatur Ecclesia verbis S. Bernardi: *Pudeat nos sub spinoso capite esse membrum delicatum. Agite, modum docebo, & virtutum exercitium, quibus Passiorem Dominico lere, & sanctificari nos oportet. Prima virtus est Mortificatio corporis non indifferere austeri, sed saltem aliqua ex amore Dei, & odio peccati procedens: Quondam Angelus praecepti occidi haud supra petram, ubi S. Gregorius: *Carnes supra petram ponimus, cum corpus nostrum Christi imitatione cruciamus. Nemo Christianorum sit, qui non facio hoc tempore amore Christi patientis a cibo deliciatore jejnet, oculos curiositati, linguam confabulationibus, seipsum confortiis inanibus subducatur, & in solitudine tristetur, &c. Altera virtus est abstinentia a deliciis mundanis, a vestium luxu, a risibus, a conviviis, a comediis, & quantum fieri potest, a negotiis etiam secularibus! Dicamus cum S. Pachomio: JESUS meus in cruce pendet, & ego peccator deliciis fruor &c. Tertia virtus est poenitentia, & continuus dolor de peccatis! attollamus oculos & animum continuo in Crucifixum, cum affectu amoroso dicentes: O Deus, summum Bonum, tu pendes in cruce inter decimanos dolores, & ego in deliciis & commoditatibus vivo. Et quare in cruce pendes, Domine Deus meus! Propter peccata mea! O maledicta peccata, utinam vos nunquam commississem! Subens vellem cum Deo meo pendere in cruce, si vos infecta reddere possem! &c. Vide Tir. Passio Christi, Poenitentia, Mortificatio &c.**

Dominica Paschalis seu Resurrectionis Domini nostri JESU Christi.

Poenitentia Paschalis debet esse seria, efficax & constans.

1. *Surrexit, non est hic. Marc. 16.* Quomodo, & qua ratione sollempnitatem Paschalem sanctis operibus celebrare debeamus, ipsa vox *Pascha* nobis in-

nuat, quae nihil aliud sonat, quam *Transitus*. Transendum est, ait S. Ambrosius S. *Ambrosii De peccatoribus ad meliora! Bonus transitus ille, est transire de peccatis ad iustitiam, de vitiis ad virtutem.* Videamus de hoc transitu, ut felicem suum effectum fortiat, quas qualitates habere debeat. 1. Hic transitus, cui per confessionem Sacramentalem datum est initium, debet esse *Serius*. Qui transit e Germania in Italiam necesse est, ut tergum obvertat Germaniae: ita qui de vitiis transire cupit ad virtutem, necesse est ut tergum obvertat vitiis, & nulla fronte amplius aspiciat. An ita agis, mi Christiane? O quam multi confitentur ut lupus, qui dum in confessionali suas rapinas enarrat, audiens ante fores Ecclesiae balare ovioniam, cito cito absolvi petit, ut balantum facere praedam possit. Ecce! non egit serio.

2. Hic transitus debet esse *Efficax*, adhibendo remedia ad compescendas inimicas passionis, fugiendo occasiones, amando solitudinem. O quam multi desunt huic efficaciae! Quamdiu animalia fuerint inclusa in Arca Noe, erant durante diluvio pacifica: post diluvium autem facta iterum sunt ferocia, & belligerantia. Ita multi post diluvium sanguinis Christi passionibus denuo frantum laxant, & in pristina vitia relabuntur. (Vide Mich. a Calvo conc. 42. s. 2. n. 9. & seq.) 3. Hic transitus debet esse *Constans*, & perseverans, eradicando pravos vitorum habitus, tollendo amicitias & familiaritates noxias, restituendo bona iniusta, & famam &c. In nocte Paschali, ait Cornelius a Lapide, omnia idola Egypti corruerunt, & comminuta sunt. Ita in animo poenitentis omnia idola ex peccato residua everti & extirpari debent. Vide Corn. a Lap. in Exod. 12. v. 12. Verum eheu! nimis verum est, quod deplorat S. Bernardus: *Peccandi tempus facta est resurrectio Christi, &c.* Vide Mich. a Calvo ubi supra.

De remediis, quibus conservanda est gratia Sacramentalis.

2. *Expurgate vester fermentum, ut sitis nova conspersio. 1. Cor. 5.* Non est facile dictu, quantum sit gaudium aegroti, qui cura Medici convalescit; jam totus sollicitus est, ut valetudinem conservet, ad quam conservandam tribus praecipue remediis opus habet: primo, ut abstineat a noxio esu & potu, Secundo ut salubriter utatur nutrimento, Tertio, ut moderata exercitatione commoveat corpus. *Paxa*

in modum lazari debet peccator, qui per Paschalem Christi gratiam a letali animae morbo ad spiritualem valetudinem rediit, omnemque curam conferat, ut hanc ipsam proportionaliter remediis a relapsu praeservet. Videamus quomodo. 1. remedium est fuga esus & potus noxii, id est, peccati, & quicquid ad peccatum disponit, fugiat pericula non tantum proxima, sed & remota: fugiat insuper aegrotos, a quibus contagionem contrahere potest, id est, malos socios, & familiaritatem viciosam. 2. convalescentis remedium est bonum ac utile nutrimentum: tale sunt frequens ac devota oratio, lectio libri spiritualis, pia colloquia, & frequentatio Sacramentorum. 3. valetudinis conservandae remedium est convenientis exercitatio corporis, quod idem & valetudini spirituali conducit. Studet Christianus vivere in continua exercitatione piorum operum, non tantum eorum, quae praecipua sunt, sed & supererogatoria, pugnet indefesse contra tentaciones, quarum occasiones virtutum quotidianas, & sic conservabit valetudinem animae, & in gratia semper proficiet. Vide P. Segneri Manna an. 2. Mart. num. 2. &c.

Resurrectio poenitentiae debet esse vera, & perseverans.

3. *Surrexit vere. Marc. 16.* Tria resurrectionum genera exhibet nobis Scriptura. Prima *apparenter* facta, qualis fuit illa Samuehis per Magicas artes Sauli exhibitae, quae pure fuit deceptio, & illusio oculorum. Secunda fuit *Vera sed imperfecta* Lazari, qui iterum fuit post resurrectionem mortuus. Tertia *vera, & constans* Christi Domini, qui resurgens a mortuis jam non moritur. Ita se habet resurrectio multorum peccatorum, per poenitentiam Paschalem! 1. Aliqui tantum resurgunt apparenter, qui sine serio proposito, solum ex necessitate, vano respectu, aut ex consuetudine accedunt ad confessionem, retinentes affectum in animo ad pristinas amicitias, & peccata. 2. Aliqui resurgunt per poenitentiam vere ac serio cum compunctione, & proposito, prout decet. Verum postliminio revertuntur ad occasiones, & familiaritates periculosas, & sic perdunt denuo vitae gratiam, majores peccatores, quam antea, quia jugum diaboli iam semel ex peritum, suavi ugo Christi praesertim. 3. Aliqui resurgunt vere & constanter, qui

non amplius peccant, sed in vita gratiae cum Christo perseverant. His ex animo gratulari ad recuperatam vitam gratiae, & impetrandam cum tempore vitam gloriae, adhortor quae ut non amplius retrospiciant, sed in via salutis strenue pergant, &c. Vide Tir. Poenitentia, Inconstantia. Item Didacum Miss. in Sermon. Quadrages. serm. ult.

Feria II. Paschalis.

Mala conservando est lapis ponderosissimus impediens poenitentiam.

1. *Qui revolvat nobis lapidem ab officio monumenti. Marc. 16.* Sine dubio, corpus Christi in sepulcro jacentis adorare, unguentis illud condire, & publice ad invidiam Judaeorum se Christo addidit profiteri, ingentis meriti opus est. Verum impedit obstaculum! quale illud? Lapis sepulchralis immensis ponderis; hinc anxia illa deliberatio mulierum: *Quis revolvat nobis lapidem?* Parem in modum, confessio Paschalis est humilis adoratio Christi, sed obstat difficultas. Quam illa? Conservando peccati, lapis ponderosissimus, qui & alius lapidibus superimpositis magis, magisque aggravatur, ita ut verificetur illud Isaiae: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super lapidem.* Quinam sunt lapides illi superimpositi, quibus difficultas confessionis aggravatur? Enumeremus; sunt enim quaterni, ad mentem Sancti Bernardi. 1. Lapis aggravans consuetudinem peccati, & occidens eos, & cor confitentis, est Pudor, quo confitens erubescit confiteri, quod non erubuit committere. Sed dicit, dum peccati, nonne putas spectabilem adfuisse Deum & Custodem Angelum? adfuerit sine dubio! cur ergo erubescit fateri coram homine, quod non erubuit fati coram Deo & Angelo? 2. Lapis aggravans, & claudens eos, est Timor inanis ille, quo tristatur peccator, quod abstinere deinceps debeat a deliciis habitus auctus: ita secum luctabatur S. Augustinus, deplorans: An non amplius video vos? 3. lapis est *Sper* longioris vitae, quae peccatori dicit, non est necessitas festinandi, juvenis est, produces vitam ad decrepitam senectutem, interea lazare & frueri bonis! Verum confitemur vitam humanam esse candelam ardentem omni tempore extinguibilem. 4. lapis praeter ceteris formidandus, est *desperatio*, quae ex vita pessime acta,

& poen.

& peccatis in immensum auctis consequitur. Eheu actum est, nisi infinita Dei misericordia specialibus auxiliis succurrat! &c. En! hos pessimos effectus post trahit consuetudo peccandi, ita ut aiat S. Gregorius: *Lapis superimponitur lapidi, cum dura consuetudine mens in peccato solidatur, ut est velis resurgere, jam utique non possit, quia moles desuper male consuetudinis premit.* Vide Barz. serm. 11. n. 29. Et serm. 55. n. 5. Item Tit. Pœnitentia, Confessio, Desperatio, &c.

Sine Cruce, & adversitate non obtinetur gloria resurrectionis.

2. Nonne oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Luc. 24. Nemo est Christianus, qui non velit salvari! sed pauci sunt, qui volunt ire ad cælum per viam, quam Deus vult, nempe per viam crucis! vellent in hoc mundo commode vivere, deliciis, divitiis, honoribus frui, & ita in cælum invehi sine molestia. Sed actum agunt! cælum vim patitur, & violenti rapiunt illud! non illuc pervenitur, nisi per cruce, per tribulationes, per morbos, dolores & mortem! Audiamus motiva pro præterito, pro præsentis, & futuro, quam æquum sit, ut tribulationes & cruce patiamur pro cælo! 1. *Æquum est, mi Christiane, ut patiaris pro cælo, si oculos reflectas ad præteritum!* cogita peccata tua multa & magna, quibus Deum O.M. graviter offendisti! felix es, si horum reatum expellere valeas per tribulationes hujus vite, quæ incomparabiliter mitiores sunt, quam vite alterius. (Vide Tit. Peccatum, Pœnitentia &c.) 2. *Æquum est, ut patiaris pro cælo, si oculos atollas ad præsentem!* Intue re Crucifixum, & in hodierno Evangelio ausculta sententiam Christi: *Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam!* si Dei Filius, cui jure hereditatis & proprietatis debebatur gloria, illam per vulnera, crucem, & mortem promereri debuit, certe tibi non donabitur gratis! omnes Sancti in via crucis facti sunt Christum præventum cum cruce, hac a via si declinaveris, cælo aberabis. 3. *Æquum est, ut patiaris pro cælo, si oculos aperueris ad futurum!* quodnam illud? ad cælestis præmium, quod infinitis malis erit tuo merito! cum discessis hodierni in via Christo adhuc incognito enarrasset terribilia tormenta, quæ elapsa septimana Magnus ille Prophetas in urbe Jerosolymitana passus est,

Christus interrogavit: *Quæ? O Bone Deus!* an non recordaris amplius funium, flagellorum, spinarum, vulnèrum, clavorum, crucis ipsiusque mortis? recordatur utique, sed tam abjecte, & stricte de illis loquitur per unicum *Quæ?* ut indicaret, illa omnia respectu gloriæ, qua nunc fructurus erat, vix posse venire in comparationem. Sic in cælo loquentur omnes Sancti &c. Vide Speranz. punct. 148. & De pass. Dom. punct. 14. Item Mich. a Calvo conc. 43. §. 1. Item Calamatum Dom. ult. post Pentecost. &c.

Qui in peccatum remissam relabuntur, timeant maledictionem Divinam.

3. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri. Act. 10. Deo sint infinitæ laudes! Divinus Mundi Redemptor non tantum e sepulcro, sed & in cordibus nostris per gratiam Paschalis Sacramenti resurrexit. Preceor, ut post tam lætum Pascha non amplius sequatur Parasceve! Sed quid agendum deinceps? Audite, time! Postquam Bellidux Josue urbem Jerichuntinam expugnavit, & funditus delevit, simul terribiles anathematis minas adjecit. *Maledictus, qui suscitaverit, & edificaverit Jericho:* Quis ergo Urbs erat Jericho? S. August. ait: Duo diversi amores edificaverunt duas diversas civitates; *Terrenam amor sui usque ad contemptum Dei! cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Jericho itaque, teste Abulense, significabat civitatem diaboli, munitam muro carnalis concupiscentiæ, muro temporalis affluentia, muro mundialis excellentia. Hos muros Christus, & Apostoli destruxerunt. Quis autem reedificat? respondet S. Eucherius: *Cam ad agenda scelera, quæ ei Dominus JESUS in die Baptismatis condonaverat, redit, qualque ipse anathematizaverat, diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit, vitas Jericho resuscitat.* En! qui has ruinas resuscitat, qui peccatum pœnitentia deletum vel in se, vel in aliis reviviscere facit, maledictionem Divinam in animam suam contrahit, quod Deus benigne avertat! &c. Vide Barz. serm. 47. §. 1.

Feria III. Paschatis.

De remediis curandi relapsum in peccata.

1. *Oportebat Christum pati in remissionem peccatorum.* Luc. 24. Inter corporis morbos fere malignissimus est mor-

morbus caducus, seu Epilepticus: istiusmodi miseri homines voluntur in terra oculos distortent, labiis spumant, rugiunt ut bruta. Dicitur remedia illis esse ultimum, si sanguinem malefici decapitati bibant, dein violenter currant, & inter duos equos rapati fatigentur. Grande malum! sed longe terribilius est Epilepsia animæ, qua miseri peccatores in peccata pristina, & jam remissa relabuntur; tunc enim vero volutantur in luto malitiae, oculos, quos ad cælum erexerant, ad terram detorquent, vivunt ut bruta ratione carentia. Vultis ut remedia infelici morbo præscribam? Paratus sum, Audite! 1. Bibant sanguinem illius, qui elapsa septimana inlita Malefici in monte Calvaria interfectus est, id est, studeant confessionem serio contritam, & summptionem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, tanquam medicinam saluberrimam sæpius frequentare. 2. Dein currant fine intermissione, id est, pravas occasiones, & consortia periculosa fugiant; morbus enim ille contagiosus est, & libidinofum, nil minus metuentem, velut ignis paleam accendit. 3. Raptentur inter duos equos, id est, inter misericordiam & iustitiam, inter spem & metum! in tentatione respiciat iustitiam, post victoriam tentationis laudet Dei misericordiam, & eius gratiam sæpius humillime imploret. Id omne si sincere coram Deo agat, hæc remedia illi proderunt contra Epilepsiam spiritualem, seu relapsam in peccata. Vide Lohneri Bibl. Tom. 2. V. Peccatum §. 7. num. 13. ubi peccatum comparat morbo caduco. Item Vide Tit. Relapsus, Peccatum! Et Barz. serm. 60. per totum.

De causis relapsus in pristina peccata.

2. *Oportebat Christum pati, & prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Luc. 24. Israelite in captivitate Ægyptiaca detenti licentiam petere a Rege Pharaone, nonnihil abundi, & Deo sacrificandi. Dedit Pharao licentiam, sed non ultra tres dies, & ut esset securus de eorum reditu, præcepit, ut suas reculas pignori relinquerent. Eundem in modum agit infernalis Pharao! hoc Paschali tempore dedit quidem peccatoribus licentiam, ut sacrificaturi, id est, SS. sacramenta sumpturi abirent, sed non ultra tres dies, & reculas suas pignori relinquerent. Et hæc causa est pro dolor! quod multi pœnitentes Sacramenti gra-

tiam facile iteram perdant, & ad captivitatem demoni revertantur. Forsan multi sunt ex præsentibus, qui his ferus Paschalis, Deo iterum tergam verterent, & joco peccati iam de novo se manciparent. Sed quam sunt ille recule, quibus demon illos retrahere solet? Sunt pravæ affectiones, seu peccata studeat, sunt pravæ occasiones, sunt malæ consuetudines. Vide Barz. serm. 47. §. 4. & 5. O quantum olim S. Augustinus ad Deum rediturus luctabat cum affectu volatibus, quasi deplorans, quod illis deinceps frui non amplius sibi liceret. Vide Barz. serm. 49. n. 16. Sicut puer avicularum nullo ligatum tenens, illum, dum avolare tentat, retrahit: sic infernalis ludio peccatorem amore officiosus tenet & retrahit, exemplum habemus cum Herode, & Herodiade. Vide Speranz. punct. 107. Item Tit. Pœnitentia, &c.

Quomodo sananda infirmitas relabentium in peccata.

3. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Luc. 24. Sanctus Gentium Apostolus, dum Christianos, præsertim Neocoverfos ad constantiam & perseverantiam hortatur, exemplum Christi resurgentis illis ante oculos ponit, inquit: *Christus surrexit a mortuis, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Verum cur Apostolus solum Christi resurrectionem exemplo allegat? cur non meminit Lazari, aut eorum, qui in morte Christi & sepulcris prodierunt? nimium ideo, quia Lazarus, & illi resurgentes denuo mortui sunt, Christus autem resurgens a mortuis in æternum vivit. O usinam per esset pœnitentium in vita gratia constantia & perseverantia! I verum quam facile, qui Christi videbantur, sunt Lazari. Vide Barz. serm. 62. n. 16. Item Mich. a Calvo conc. 42. §. 1. Quid ergo agendum? Sicut ægro convalescenti a Medico vite norma una cum alexipharmacis præscribitur! ita item S. Paulus præscripsit Corinthiis quinque remedia. Et quam sunt illa? Sunt credenda, agenda, vitanda, speranda, timenda. Vide Barz. serm. 62. per totum, præsertim nu. 9. Per credenda admonetur Christianus, ut articulis sanctæ fidei sine ulla hesitatione, inconcussa firmitate adheret. Per agenda a monetur, ut per bonorum operum exercitio sem thelaurum meritorum pro cælo emendo sibi comparet. Per vitanda adm netur, ut peccatum super omnia mala fugiat, occasiones etiam

etiam & pericula peccatorum studiose declinet. Per *Speranda* admonetur, ut providendis tentationibus, & adversis pro Deo perferendis cælum frequenter suspiciat, & promissam tibi mercedem æternam consideret. Per *Timenda* denique admonetur, ut in superandis difficultatibus, ipsaque morte exaltanda intuitu penarum infernalium seipsum excitet, & confortet. Fac hoc mi Christiane, & in peccatum non relaberis. &c.

Dominica I. post Pascha.

De SS. Vulneribus Christi, & gratis exinde profluentibus.

1. **O**stendit eis manus & latus, & gavisus sunt Discipuli. Joan. 20. Immenisa erat læticia populi Israelitici, dum per desertum in summa aquarum penuria denique regionem Elim attingit fontibus irriguam, ubi quilibet se refocillare, & sitim restinguere potuit. Et tamen quid sunt fontes Elim comparati fontibus SS. Vulnerum, quibus Christus aquam gratiam in nos effudit? Hos fontes hodie Christus Discipulis spectandos dedit, dum ostendit eis manus & latus, his visis gavisus sunt Discipuli, scientes, hos fontes in præsentis vitæ deserto esse nostras delicias. Videamus, quibus deliciis in nostram salutem scaturiant hi sacri gratiarum fontes, de quibus Propheta: *Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris!*

Joan. 12.

Exalt. 39.

Tres qualitates habet aqua fontana, lavat, fecundat & sitim extinguit. Eundem in modum aqua gratiarum & Sacris Vulneribus, 1. Lavat; quia maculas animæ abstergit: *Effundam super vos aquam mundam, & mandabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Imo, quod aqua naturalis non potest, non tantum purgat maculas, sed pulchritudini animæ tribuit majorem pulchritudinem, quam antea habuit. 2. Aqua fontana fecundat, & concludit ad plantas irrigandas. Ita aqua gratiarum & SS. Vulneribus profluens fecundat animas, ut semper sint velut hortus aquis irrigati, bonorum operum feraces: Imo plus facit aqua gratiarum, quia etiam aridas & steriles animas succo vitali animat. 3. Aqua fontana felat sitim: id etiam facit gratia! verum duplex est sitis, mala & bona: Mala & perniciofa est, quam patiuntur læcivi, avari, ambitiosi: Et hanc sitim extinguit gratia, quia tollit desideria feelerata & superflua. Bona sitis est, quæ anhelat ad sum-

um Bonum, & hanc accendit gratia: quia semper maius inspirat desiderium videndi & amandi Deum: *Qui vidit me, adhuc sitiet, &c.* Tu igitur, mi Christiane, ad SS. Vulnera Pedum roga, ut laveris! ad SS. Vulnera Manuum roga, ut secunderis! ad SS. Vulnera Pectoris roga, ut ad cælestia desideria evaharis. Cape aliam praxin valde devotam: Sacerdos quidam omnes afflictiones, quas passus est, in schedula scribens, illas in Vultu SS. Cordis Christi Crucifixi reposuit, tentationes, persecutiones, morbos, dolores, aliaque dum ad mortem pervenit, haschedulas omnes ex S. Vulnere protraxit, & in suis ingentem salutis spem concepit. Fac tu similiter, & erunt tibi SS. Vulnera fontes aquæ salientis in vitam æternam! Vide P. Segneri *Manna* an. 21. Maji.

Quibus motivis propositum firmandum sit contra peccata.

2. *Noli esse incredulus sed fidelis.* Jo. 20. Gratulor immensam felicitatem Christianis illis, qui ex expiata per Sacramentum Paschale conscientia cum Deo reconciliati sunt, precorque illis contra relapsum invictam fortitudinem, qualem habuit Josephus Ægyptius: Tentatus a Domina domus turpissime, quomodo se habuit: elatis in cælum oculis, reposuit: *Quomodo possum hoc malum facere?* Ecce! non tantum difficile, sed omnino impossibile sibi iudicavit peccare contra Dei legem! sed quibus motivis stabilivit hanc impossibilitatem, & invincibile propositum? Id hodie discutiamus, ut dicere tibi possim, mi Christiane, *noli esse incredulus sed fidelis!* 1. Tentatus S. Joseph reflexit oculos in præteritum, nempe in Beneficia a Deo a teneris accepta, in persecutione, venditione, & infidiis fratrum. Tu mi Christiane, tentatus a mundo, carne, & demone, cogita, quam benigne te Deus creavit, conservavit, contra millena corporis & animæ pericula defendit, &c. 2. Tentatus S. Joseph aperuit oculos ad præsens, nempe ad Deum omnia videntem, & audientem. Tu mi Christiane, in tentatione, imaginare tibi præsentiam Dei, & Angeli Custodis, eorumque vel gaudium in victoria, vel indignationem in tuo peccato. 3. Tentatus S. Joseph præ oculis habuit futurum, nempe disidium Dei iudicium. Tu sic similiter, & perpende, quanto tibi de decori futurum sit in iudicio si vincaris, quantum gloriæ si vincas, &c.

Id

Id si facias, timor Dei in animo tuo sic operabitur, ut cum S. Joseph impossibile tibi videatur, peccare contra Deum, quod ex animo precor! Vide *Corn. a Lap.* in *Gen. c. 39. v. 9.*

Pessimi effectus relinquit a peccato retrahunt ad relapsum.

3. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Eccli. 5. Nunquam vidistis, quomodo ludibundus puer aviculum filo aligatam decipiat? interdum illum in liberum aerem avolare permittit, at cum illa exultat, & canillat, miseram filo in caveam, & captivitatem retrahit. Sic agit infernalis auceps cum multis peccatoribus, qui hoc tempore Paschali se liberos, & securos putant! subito miserum in peccati captivitatem retrahit. Sed quo filo? quadruplici, ex peccatis residuo, ita ut plane moneri indigeant: *De propitiato peccato noli esse sine metu!* Per quadruplex filum intelligo pessimos effectus, quos peccatum, juxta Thomam Angelicum, in anima relinquit. 1. effectus peccati est, quod per illud ratio bebatur; quia per peccatum mens hominis adeo obtenebratur, ut ad cognoscendas veritates supernaturales non amplius sit tam serena & expedita, quam fuit antea. 2. Per peccatum voluntas induratur, ita, ut ad inspirationes Divinas fiat obdormita, & insensibilis, &c. 3. Per peccatum difficultas bene agendi crescit, eum in modum, quo æger a febre convalescens, non aptus est ad labores arduos, quibus antea par erat. 4. Per peccatum concupiscentia exardescit: Flamma candela per statum oris exincta, dum lychinus adhuc fumigat, facillime reaccenditur; per obviam occasionem ardere de novo incipit, &c. Vide *Barz. serm. 43. num. 8.*

Dominica II. post Pascha.

De vigilantia, & cura Superiorum super animas sibi a Deo commissas.

1. **E**go sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10. Errant, qui nomen pastoris solis Sacerdotibus & Parochis proprium putant! Pastores sunt Superiores respectu subditorum, Parentes respectu filiorum, Patresfamilias respectu domesticorum: horum omnium curam habere, & de co-

rum vita & vitis Deo Judici rationem reddere debent. De his omnibus solliciti sint. 1. ut illos a teneris in legendo, in scribendo, in addiscendis fidei principis erudiant, aut erudiri ab aliis procurent. (Vide *Tir. Parentes*) 2. Illos verba, & exemplo, piisque monitis, ad virtutem, ad audiendum Verbum Dei, ad catechesin frequentandam, aliaque pia opera extimulent. 3. Illos a vitis, a malis occasibus, a confortiis suspectis retrahant, aut si monitis obedire nolint, & servitii manumittant, quia unicus peccator maledictionem Divinam supra totam domum provocat, & inducit. Vide *Tir. Patresfamilias, Peccator &c.* Id triplex munus li Superiores, Parentes, & Patresfamilias negligant, non pastores sed mercenarii sunt, qui & ipsi una cum scabiosis ovibus in dentes infernalis lupi incident, &c.

De signis prædestinationis explicitis sub quatuor ovibus oviculae.

2. *Cognosco oves meas, & cognoscunt me mee.* Joh. 10. Non puto frequentiori cogitatione turbari Christianorum conscientias, quam illa: *Heu! quid de me fiet? ubi in illa die collocandus ero, a dextris vel a sinistris? Erone inter oviculas Christi, aut inter hædos impiorum?* Cogitatio hæc sine dubio plena est anxietatibus. Sed multo animis estote! Divinus Pastor dicit: *Cognosco oves meas!* Ergo oves Christi habent signa, ex quibus cognoscantur. Habent! quænam sunt hæc signa? Dabo hodie tria, alias daturus cetera! 1. Qualitas oviculæ est magna orexis ad saltem: & primum signum oviculæ Christi est magna estimatio & appetitus ad Verbum Dei, quod sale significatur. Qui Germanus est, libenter audit linguam Germanicam, Gallus Gallicam & sic de ceteris: Parem in modum, qui ad cælestem patriam destinatus est, libenter audit linguam cælestem. Ovesque vocem meam audiunt, &c. 2. Qualitas oviculæ est odium adversus lupum: Et aliter signum oviculæ Christi est implacabilis nansea & aversio adversus peccatum. Hujus vel umbram fugere, & omne periculum declinare, acque potius mala corporis sustinere, quam in peccatum, quo Deo nihil est execrabilius, consentire debet. (Vide *Tir. Peccatum*) 3. Qualitas oviculæ est manufactudo, & concordia cum aliis. Ita tertium signum oviculæ Christi est caritas proximi, cui tam in necessitate

rate spirituali, quam corporali compartiendum & succurrendum est. Vide Tit. Caritas Proximi &c. Item Barz. ser. 48. a num. 13. & seq.

Continuatio de signis prædestinationis.

3. *Cognosce oves meas, & cognoscent me me.* Joan. 10. Explicata sunt paulo ante tria signa prædestinationis per qualitates oviculæ, nempe auditio Verbi Dei, odium peccati, & mansuetudo, seu caritas proximi. Pergamus, & hodie iterum quatuor id genus qualitates & signa explicemus. 1. seu potius quarta qualitas oviculæ est, quod lanam ad vestimenta lac ad sitim restinguendam, & carnes ad esum famelicis faciendam libenter submitteret. Ita signum oviculæ Christi, ad ovile cali prædestinatæ, est misericordia erga pauperes, ita, ut cum tempore laudari a Divino Judice mereatur: Esurivi & dedisti mihi manducare, sitiivi & dedisti mihi bibere, nudus eram & cooperuisti me, quod si a via aberrer, balatum edat indefinenter, donec ad Dominum redierit. Ita signum oviculæ Christi est, quod si per peccatum a semita mandatorum declinarit, sine mora operam conferat, ut seriam poenitentiam ad viam salutis revertatur. 3. seu sexta qualitas oviculæ est mirabilis patientia, qua cædi, ducl, pungi, mactari se paratissime permittit. Ita signum est oviculæ Christi, quod adversitates, persecutiones, morbos & mortem, uno verbo, prospera & adversa plenissima cum resignatione sustineat. 4. denique seu septima oviculæ qualitas est, quod imminente hyeme plus, quam alias comedat. Ita signum est oviculæ Christi, quod vita declinante ad mortem in usu, & participatione Sacramentorum, præsertim Eucharithie frequentior sit; quanto longius est iter, tanto major debet esse sollicitudo de Viatico sibi comparando, &c. Vide Barz. serm. 48. per totum.

De Pseudo-pastoribus animarum.

4. *Pastor bonus animam suam dat pro ovibus &c.* Quod Pastor pro tuenda totius gregis incolamitate officio suo desit, & oves suas fidei commissas luporum infidibus ex incuria aut negligentia relinquit, grande delictum est. Verum longe execrabilius, si Pastor ipse in lupum migret, & in perniciem ovium conspiret.

Estne possibile tam grande malum? Est omnino possibile, & frequens. 1. Quid sunt Patresfamilias, nisi a Deo constituti pastores, qui vices suas gerant, & commissas sibi domesticorum animas doctrina & exemplo ad cælum manuducant: quid autem agunt? dormiunt, ludunt, jurant, inebriantur, impudicitia vacant, sique pessimum exemplo domesticos depravant, imo ridet, si famulos & famulas non minus impudentes, vicia sua amulari conspiciunt. Lupina hæc crudelitas est. 2. Quid sunt parentes, nisi constituti a Deo filiorum pastores? Quid autem agunt? Mater ipsa filiam vanitatibus affluens, pecuniam illi subministrat, ad consortia & choreas emittit, instruitque, quomodo proco placere, ejusque animum demulcere possit, &c. Lupina hæc crudelitas est. 3. Sunt & alii, qui se pastores faciant, populum enormibus contra fidem mendaciis pervertunt, juvenum persuadent, per solam fidem hominem salvari, mandata Dei non debere, imo nec posse observari, adeoque portam liberæ aperiri ad scelera impudentissima, cum ruina, & damnatione innumerabilium animarum! Lupina hæc & diabolica crudelitas est! &c.

Dominica III. post Pascha.

Modica tam in vitis, quam in virtutibus non contemnenda.

1. *Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.* Joan. 16. Cum ingenti animi desiderio vellem optare, ut hodiernum Evangelii Modicum in cordibus Christianorum indelebili caractere insculperetur; quia certe tunc plures salvarentur anime, & pauciores damnarentur. Modicum hoc inestimabile aliquid est in genere boni, propter effectus, quos post se trahunt. Agite, edoceamur utrumque! 1. Dicit Christianus timere modica in vitis! quia per gradus, & sensim sine sensu perducunt ad maxima! qui hodie cum risu efficit mendacium jocofum, cras erumpet in perniciosum, & qui hodie audeat furari obolum, paulo post non exhorrescet extendere manum ad florenum; verissimum enim est; qui spernit modicum paulatim decidet. Interroga omnes damnatos causam æternæ suæ infelicitatis, inventes, quod ab infimo gradu mali inceperint, & successive semper audacio-

res

res ad summum malitiae apicem ascenderint, &c. 2. Dicit Christianus æstimare modica in genere boni; quia per hæc successive ascendit ad magnam sanctitatem! Sancti non semper exercuerunt actus heroicis, sed ad actiones quotidianas sui officii solliciti attendebant, in orando sine distractione, in sufferenda levi injuria, in mortificatione passionum, in labore cum bona intentione peragendo erant attentissimi ac solliciti, cum in morem; quo Mulier fortis colum, & linum & lanam & lucernam soleser tradavit, & sic de singulari pietate laudari, & Sanctis comparari meruit. Nonne, mi Christiane, miracula facere, Ecclesias ædificare, Hospitalia pro pauperibus fundare, elemosynas ingentes distribuere non potes, si ergo modicas, easque fere horarias occasiones merendi negligas, quale meritum in morte pro cælo sperando allegabis? &c. Vide P. Segneri Manna an. 8. Augusti, & 27. Martii n. 2. Item, Cura minorum Lib. VI. Tit. Virtus.

Magna felicitas later sub tribulationibus.

2. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. 16. Quis credat, nisi expertus, sub amaro nucis cortice tam lapidum & dulcem nucleum delitescere? Plus dico, quod magis admirandum est! Quis credat, sub amaritudinibus hujus sæculi, ut sunt adversitates, persecutiones, morbi, pauperitas tam dulces, illudque perenne gaudium latere, ut Sancti immenso cum desiderio mundi tribulationes a Deo rogarint, & impetratas super divitias & voluptates amarit, & æstimarint. Quamam ergo sunt felices illæ utilitates adversitatum? Prima est, quod doceant nos timere justitiam; cerum enim est, quod justus Deus exigua, & quotidiana delicta per temporales tribulationes expiet, & puniat; id considerantes homines iusti, cauti attentique redduntur ad cavenda etiam modica, gaudenque, quod pro horum reatu per temporales hujus, & non alterius vitæ poenas justitiae Dei satisfacere possint. Secunda tribulationum utilitas est irreconciliabile odium adversus peccatum, quod causa fere unica est malorum a Deo immisorum. Sic filius prodigus in exilio suo per inopiam, famem, & sitiquas tandem eductus est, damnare suam libertatem, & reverti ad Patrem; ita homo afflictus per temporalia mala illuminatur ad agnoscendam, ac detestandam gravitatem peccati, illamque

expianendi per veram poenitentiam. Tertia denique tribulationum utilitas est, quod animus per amaritudinem vitæ temporalis trahatur ad despicienda mundana & desideranda gaudia vitæ æternæ, id quod Christus Dominus hodie Discipulis tristibus solatio edixit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis!* &c. Vide Barziam Serm. 75. num. 14. Item Tit. Adversitas, Patientia &c.

Dæmon, caro, mundus decipiunt, suadendo, ut contemnantur modica.

3. *Mundus gaudet, vos vero contristabit.* Joan. 16. Quisquis sapit, malet cum Discipulis Christi tristari, quam cum mundo gaudere; quia certum Dei oraculum est, quod tristitia illa vertetur in gaudium, e contra gaudium istud vertetur in tristitiam, forsitan sempiternam. Et tamen cheu! quomodo fieri potest, quod evanidus homo, in voluptatibus, divitiis, & honores demersus tam turpiter se decipi permittat, ut contrarium eligat? Quis ergo illum decipit? Ecce! Spiritus Sanctus per Sapientem est infirmat: *Tres species odit anima mea: Pauperem superbum, divitem mendacem, & senem fatuum ac insensatum.* Quinam sunt hi tres deceptores? sunt mundus, caro, & dæmon! Audiamus enucleatim! Primus Deceptor vanissimus Mundi Amatoris est, *pauper superbus*, id est, dæmon, qui licet omnibus gratiæ donis privatus, inter vincula inferni retinet suam superbiam, & volens esse Dominus Mundi, divitias immensas appropitit nimis credulo, cum in morem, quo olim in monte Christo omnia mundi regna promisit, *hec omnia tibi dabo!* Hoc modicum, quod respectu cæli minus est, quam guttula respectu integri maris, labundis laudibus extollit. Et revera contemptibile nihilum est. Alter Deceptor hominis mundani est *Dreer mundax*, seu Caro! persuadet homini mortificationem, jejunia, modestiam morum, victoriam passionum, fugam voluptatum, iacturam periculose familiaritatis & ardam virtutis semitam esse impossibiles, adeoque quod musculus est, per modum elephantis describit, veterans, non possunt! non possunt! tucis denique Deceptor est *Senex fatuus* id est, Mundus, qui jam ultra sexaginta sex sæcula confesens, & puerilis in moribus agens, Sapientiae Dei se opponit, suadens,

Eccl. 25.

dens, dignitates suas ac honores esse felicitatem maximam, qui tamen modicum sunt paulo post disparens, & in æternum contemptibile. Dicit, esse probrosum, inimicis ignoscere, amplecti paupertatem, & quæ sunt similia &c. Avertat Deus, ut quis fidem tribuat his deceptoribus! &c. Vide P. Segneri *Manna* an. 26. Aprilis, no. 2. Item Jo. a Busmanshausen in Festo S. Catharinae.

Dominica IV. post Pascha.

De fine ultimo hominis.

1. **V**ado ad eum, qui misit me, & non ex vobis interrogat me, quo vadis? Joan. 16. Navigium Jonæ, contra mandatum Domini abire volentis in urbem Tharsis, coorta terribili tempestate parum abfuit ab exitio: ubi vero nauæ educti sunt, hoc malum poenam esse fugitivi Prophetæ, examinerunt illum interrogando: *Quæ est terra tua? quo vadis? & quid opus tuum?* Videtur malorum ferre omnium, quæ insular tempestatum nobis iter hujus vitæ tam temporaliter, quam spiritualiter perturbant, causam esse maximam, quod pauci sint, qui trianam hanc nauarum interrogationem cordi habeant. Quilibet Christianorum finem suum ultimum, ad quem creatus est, serio præ oculis habere, quotidie se ipsam examinare deberet. (Percipite ico-pum ac divisionem hodierni sermonis.)
1. *Quæ est terra tua?* Responde, mi Christiane, terra mea est vita hæc corruptibilis, prosperis & adversis, bonis & malis intermixta, in juventute erat mera ignorantia, in adolescentia mera malitia, in ætate virili cura de terrenis, oblitio de Divinis, in senio tandem metus & anxia pusillanimitas de futuris, &c. 2. *Nauarum interrogatio erat: Quo vadis?* Responde mi Christiane, tot passibus, quot temporis momenti vado ad æternitatem! Ad qualem? Beatam, vel infelicem? si Beatam Deo miserente attingero, laudabo Bonitatem infinitam, quæ non meis meritis, sed sua misericordia me salvum fecit, simulque quantum potero, mihi ipsi indignabor, quod tam Bono, & Amabili Domino adeo languide servierim. Si in æternitatem infelicem incidero, cheu! in tormentis deplorabo per omnem æternitatem, quod caducus & inanibus rebus plus quam celestibus inhiarim. 3. *Nauarum interrogatio erat, Quod est opus tuum?* Respondet,

mi Christiane, opus meum seu opera mea, teste conscientia mea, adeo sunt ambigua, ut dubitem, an sim in Dei gratia, vel in statu peccati mortalis! Et in hoc statu vel momentum vivere ausim? cretus sum in hunc finem, ut Domino Deo serviam, & denique salvus fiam? Et ego mundo, carni, demoni potius servivi, quam Deo! Quid fiet de me? Eja! revertar sermo in semitam salutis! penitentiam agam! implorabo Dei Misericordiam! &c. Vide Barz. Serm. 14. §. 1.

Quomodo arguendus sit mundus de peccato, de iustitia, & de judicio.

2. **A**rguet mundum de peccato, & de iustitia, & de judicio. Joan. 16. Hodicæna Mundi indoles, & mores ita comparati sunt, ut libertas contra leges prescriptis videatur: quilibet credit, quod vult, cuiuslibet licet, quod libet, omnes, præsertim tepidi semi Christiani, terrenis inhiant, celestia negligunt, de iis, qui tot mortem futura sunt, dubitant, aut omnino inter fabulas rejiciunt. Et hæc erit verissima Spiritus Sancti accusatio, dicente Evangelii veritate: Arguet mundum de peccato, de iustitia, & de judicio. Videamus, quæ & qualis erit hæc triplex accusatio! 1. Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato tam in genere, quam in specie! In genere quidem, quia licet ut offensa Dei maximum sit malum & omnium malorum fons & origo, tamen hodie parum curatur, & in omnibus fere hominum statibus, sine horrore dominatur. In specie autem Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato infidelitatis, quia jam omnes hæreses, & ipse Indifferentismus, & Atheismus primatum tenent, & ille habetur doctior, qui in negandis, aut disputandis fidei articulis est impudencior. 2. Arguet mundum de iustitia. In uno sensu iustitia est interna, quæ denominat Iustum, & consistit in ipsa conscientia, & vitæ sanctitate: Et hæc deridetur, & exploditur: habetur pro simplici, aut semi-fatuo, qui de observatione Legis Divinæ aut humanæ multum est sollicitus. In altero sensu Iustitia Virtus est, quæ jus suum cuiuslibet tribuit. Et hæc cheu! quantum in curiis, in aulis, in tribunalibus, favore aut munere corrumpitur! præterea heu quantum deficit in eo, quod transitoria plus estimari videantur, quam æterna. 3. Arguet Mundum de iudicio, quia sunt quamplurimi, qui iudicium Dei vel

noa

non credunt, vel si credunt, non timent, vel si timent, non student evitare, & sic salutem suam cæco casu committunt, &c.

Quomodo ad salutem nostram expedit ascensio Christi.

3. **E**xpedit vobis, ut ego vadam. Joan. 16. Si Divinum Mundi Redemptorem submississima cum veneratione, de omnibus actionibus vitæ ipsius interrogare ausi fuissetis: Domine, cur de cælo in terram descendisti? cur assumpta humana natura, a stabulo Bethleemico usque ad montem Calvarie mille ærumnas, contemptus, persecutiones, dolores, & ipsam mortem amarissimam in cruce sustinere voluisti? respondisset certe Servator: *Expedit vobis!* id est, veni in mundum, pure ex amore vestri, ut per actiones totius vitæ, ipsamque mortem meam saluti vestræ confulerem! cum ergo vidit Christus, quod Apostoli propter suum reditum ad cælos, suamque absentiam tristarentur, idemmet repetiit: *Expedit vobis!* Videamus, quas ergo utilitates nostras Dei Filii per suam ascensionem ad caelestem patriam ascendit? 1. Expedit nobis Christum ascendisse ad cælos, ut per hanc ascensionem opus nostræ redemptionis completeretur, ut cæli, qui per peccatum Adami clausi, ac obferati erant, aperirentur, & ut Electis, seu prædestinatis æternæ gloriæ sedes præpararentur; hinc certum est, quod Christus ascendens, formam Patrum hæstus in limbo expectantium secum duxerit, captivam duccens captivitatem. 2. Expedit nobis Christum ascendisse, ut munus Advocati apud Divinum Patrem pro genere humano, & speciatim pro peccatoribus susciperet; hinc retinuit in corpore Sacra Vulnera, quibus nihil potentia perorat, & ideo statim post ascensionem missi sunt Apostoli in universam terram, ut gentes in unitatem fidei, & peccatores ad penitentiam congregarentur. 3. Expedit nobis Christum ascendisse, ut mitteretur in mundum Spiritus sanctus, qui docebit nos omnem veritatem. Præparemus corda per fidem, spem, caritatem, omniumque virtutum exercitia, ut caelestem Hospitem digne recipiamus, &c. Vide Dotallevi Dom. 4. post Pascha.

D. Claus Spicil. univers. Pars III.

Dominica V. post Pascha.

Oratio debet fieri digne, attente, & devota.

1. **S**i quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. Verissima quidem est hæc promissio Christi, si quid petieritis Patrem, dabit vobis: verum non omni oranti, nec omni orationi facta est hæc promissio; quia tam oranti quam orationi, ut impetrent, necessariae sunt certæ dispositiones. Et quoniam illæ? Notate! Sacerdos, antequam Preces Canonice Breviarii, ut vocamus, inchoat, in oratione præparatoria rogat Deum gratiam, ut Digne, Attente, ac Devote hoc Officium recitare valeat. Triplex hæc dispositio ad omnem orationem indiscriminatim necessaria est! Videamus quomodo! 1. Oratio debet fieri *Digne*, id est, mente pura, ab omni peccato libera, & gratia Dei exornata: Sanctus Apostolus Petrus, non lingua, sed oculis veniam impetravit, quia oculi erant innocentes a negatione Christi, non lingua. (Vide Barz. Serm. 63. n. 23.) 2. Oratio debet fieri *Attente*, id est, cum reverentia, & recollectione animi ad verba, vel ad mysteria orationis, exemplo Annæ Matris Samuelis, de qua S. Chrysostomus ait: Multiplicat preces in conspectu Domini: nempe sicut Deus præsens est precibus supplicantis; ita etiam præsentem vult esse animum supplicantis. (Vide Speranzanum punct. 7.) 3. Oratio debet fieri *Devote*, id est, cum firma fiducia in Deum, exemplo Abrahami (V. Speranz. punct. 22.) item cum constantia, & perseverantia, exemplo agrori ad piscinam, Davidis, Chananzæ, & aliorum (Speranz. punct. 7.) Tali orationi his qualitatibus prædita Christus promittit exauditionem. Præterea est solatium oranti in omni afflictione, dicente S. Bonaventura: *Frequens, & fervens oratio, dissipat omne malum.* Vide Tit. Oratio.

S. Bonav. in Spec. fol. 6.

Oratio despectuosa non exauditur.

2. **P**etite, & accipietis, Joan. 16. Quid est, cogitat Christianorum nonnemo, quid est, quod veracissimum, & fidelissimum Deus sincere promittat, *Petite, & accipietis*, ego tamen in precibus meis jam diu continuatis non exaudior? quid conquæreris? Ex parte Dei promit-

T ten.

tentis certo non est defectus, videamus, an non ex parte tui, vel ipsius orationis defectus inveniatur, quo minus dignus sis exaudiri. 1. Oratio indigna est exaudiri, si procedat ex corde impuro, sine gratia Dei; ideo Israelitæ orantes nihil impetrarunt; quia adhuc erant idololatra, (Vide Barziam Serm. 67. n. 16.) 2. Oratio defectuosa est & indigna, si sit distracta & negligens: Deus iple conquiretur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum procul est a me. Qua fronte pretendere potes, quod Deus intelligat, cum te ipsum non intelligis? 3. Oratio non exauditur, cum petit rem noxiam contra Dei gloriam, aut contra salutem petentis: aut si petit rem mere terrenam, inanem, neglectis cælestibus, & æternis, que animam concernunt, &c. 4. Denique oratio defectuosa est, & indigna exaudiri, si sit pusillanimitas, & inconstans, &c. Vide Tit. Oratio, &c. Caveat Christianus orans his defectus, & ita orationem suam meritoriam faciat, ut, quod paucis requirit S. Augustinus; sit oranti presidium, Deo sacrificium, & demoni flagellum, & sic verum erit illud Petri, & accepistis! Vide Corn. a Lap. in Exod. c. 17. v. 11.

Oratio immunda, & negligens nihil impetrat.

3. Si quid petieritis Patrem, dabit vobis. Jo. 16. Si quis subditorum gratiam exoraturus Principi libellum supplicem porrigeret, sed sordidum & maculatum, nugis nugarum plenum, ac caractere obscuro illegibilem, certe e vestigio facesset iustus, nihil gratiarum impetraret. Oratio, quam ad Deum fundimus, quid est, nisi libellus supplicis? quod si hæc oratio iidem maculis confurcata, & defectuosa sit, quid mirum, quod contra Dei promissionem, id quod petimus, non impetremus? Explicemus, quænam sint hæ maculæ ac defectus? 1. Oratio maculosa ac sordida est, cum ex corde peccatis contaminato procedit! Quæso, si occisor regii filii, manus adhuc sanguine rubentes, ad patrem Regem elevarer, gratiam rogaturus, nonne indignationem potius, quam commiserationem referret? Peccator latro est Divini Filii! ni ergo peccatum penitentia abluit, non vitam fed mortem reportabit. 2. Oratio nugis nugarum plena est, cum volum fundatur pro rebus mere terrenis v. g. pro divitiis, nuptiis, aut officio con-

veniente, & quidem sine conditione apposta; si ad Dei gloriam, & animæ salutem cedat? &c. 3. Oratio obscuro, & intelligibili caractere scripta est, si sit distracta, ex animo circum circa evagatione ascendens &c. Hi ergo defectus orationem faciunt inefficacem, ita ut negligens orans potius cum novo peccato, quam cum merito a Deo recedat. Vide Tit. Oratio!

Dominica VI. post Pascha.

Qua preparatione Spiritus Sanctus in cordis hospitium recipiendus sit.

1. **C**um venerit Paraclitus, quem ego mitam vobis. Joan. 15. Sancta Virgo Mechilidis ex Sponso Divino querens, quænam esset optima ratio ad Sacram Communionem se digne preparandi, hoc tulit responsum: Fac id, quod fecerunt Apostoli mei, quando eos misi, ut parent mihi Pascha! Hoc idem responsum vellem referre iis, qui me interrogarent, quid faciam, ut advenienti Spiritui sancto dignum in corde meo habitaculum prepararem? Fac id, quod fecerunt Apostoli? Videamus, quid fecerint. (Vide Micam Panis die 28. Octob.) Prima preparatio Apostolorum erat separatio per hos dies a creaturis: Cum introissent in cœnaculum. Patrem in modum, anima Christiana, his diebus, profanis ac inanibus negotiis, quantum fieri potest, se subducatur, & in solitudine sacris cogitationibus, & desiderii vacet. Secunda preparatio Apostolorum fuit frequens, & ardens oratio: Erant perseverantes in oratione. Patrem in modum anima Christiana oratione, & meditatione rerum cælestium sese occupet, frequenter virtutum actus eliciat, Scripturam legat, aut si his par non sit, orationem Dominicam, & Symbolum Apostolicum considerabunde quotidie percurrat; ait enim S. Ildorus: Omnis latitudo Scripturarum in oratione Dominica, & Symboli brevitate concluditur. Tertia preparatio Apostolorum erat pax cum proximo, & secum ipso, juxta illud: Unanimiter. Patrem in modum anima Christiana, lites cum proximo per reconciliationem, & remorsus suæ conscientia per sacram exomologesim componat. Quarta demum preparatio Apostolorum fuit recursus ad Beatam Virginem pro cordis dispositione: Cum Maria Mater JESU. Patrem in modum, anima Christiana-

S. Ihd. de summo. Bone l. 1.

filiana, pro impetranda cordis dispositione ad recipiendum Divinum Hospitem ad sanctissimam, purissimamque Virgineam recurrat, &c.

De peccato scandalii.

2. **Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.** Joan. 16. Quid ergo locutus est Dominus Apostolis? prædixit illis persecutiones, & promisit fortitudinem Spiritus sancti confortantis. An ergo Apostoli fuissent scandalizati, si hæc illis Dominus non prædixisset? fuissent omnino! cum enim in manus incidissent persequentium tyrannorum, cogitassent secum ipsis: De his ærumnis & tormentis nihil audivimus a Divino Magistro, sicque pusillanimes manum retractassent ab aratro, id est, a conversione gentium. Verum hoc scandalum fuisset mere acceptum, non datum. Quid autem est, scandalum acceptum, quid datum? Hoc edocemur in presenti discursu, ubi agemus de scandalo, grandi malo quo depravatur mundus, & innumera peccata causantur! 1. Scandalum acceptum evitari non potest; quia etiam ex sanctissimis actionibus, sine & maligne interpretatis sumitur, eum in modum, quo ex eodem flosculo apicula mel, & aranea venenum legit: sic Judæi scandalizati sunt in operibus Christi, & hœdium hæretici in functionibus & dogmatis Ecclesie scandalum capiunt. 2. Scandalum datum est actio, vel locutio peccaminosa, quæ videnti vel audienti præbet occasionem spiritualis ruinæ. Hoc scandalum dum sua vitæ licentia præbent Principes, Magnates, Nobiles, populum pessimo exemplo post se trahunt ad peccata, ad hæresim, ad Atheismum. Hoc scandalum præbent Mulieres impudicæ, minus decenter vestitæ, impii laterones verba obscena latrantes, Parentes, ac Patresfamilias & alii per crapulas, juramenta, impudicitias, & alia crimina &c. 3. Væ illis, quia peccata peccatorum omnium, quæ causant, in caput eorum redundabit: Deus præcepit, Si ignis egressus invenerit spicas, reddet damnum, qui ignem succendit. Quanto magis reddet damnum ille, qui alteri causa fuit ignis æterni? &c. V. Tit. Scandalum. Item Barz. Serm. 37. n. 3. 4. 32. &c.

De bono persecutionum.

3. **Venit hora, ut omnis, qui interficit meos, arbitretur se obsequium præstare Deo.**

Adest revera tempus & hora, qua Apostoli, eorumque successores, quibus ex officio incumbit, oppugnare, & extirpare crimina, passim odio habeantur a mundo, & qui corrigunt peccata, magis persecutionem patiuntur, quam quilla committunt. Sed qua de causa permittit Deus homines iustos, famulos suos iniustis tribulationibus ita tribulari, ut & persecutores patiant, se obsequium præstare Deo? Dabo causas in solatium Sacerdotum, & in terrorem peccatorum! Cur homines iusti peccatorum correctores omnium mundi, & persecutiones patiuntur, 1. ratio est, ut augetur ipsorum merita; longe enim difficilius, magisque meritum est, prodesse proximo ingrato, quam benevolo, & pro labore referre potius contemptum, quam præmium. 2. Ratio est, ut quotidianos defectus expient; cum enim Sacerdotes, & animarum curatores quotidie inter homines vitiosos versentur, facile fieri potest, ut inter tot ollas maculam contrahant: hunc maculam Deus absterget, & dealbat per persecutiones, 3. ratio est, ut peccatores suo exemplo terrent: si cicurari vult leo, canis in illius conspectu fugit: sic castigat iustus, ut emendeur injustus. Moyses, Aaron, Lot, Ananias & Saphyra puniti sunt, & tamen non peccatorum graviter. Quare? ut peccatoribus essent terrori, seu exemplo. Vide Barz. Serm. 13. §. 8. & seq.

Dominica Pentecostes.

De signis inhabitantis Spiritus Sancti.

1. **A**d eum venimus, & mansionem apud eum faciemus. Joan. 14. Frelicissimum Cor hominis Christiani, in quod Spiritus sanctus venit, & mansionem facit! Econtra infelicissimum cor, quod Divinus Spiritus transiit, aut veniens iterum relinquit! Ex quorum numero sumus Dilectissimi, felicitium aut infelicitium? Eheu! nescit homo, amore, an odio dignus sit! Verum agite, ex signis argumentemur! Spiritus sanctus apparuit huius specie ignis; igitur ex operationibus ignis concludamur, faciamus, an Divinus Hospes in corde nostro resideat. Attendite! 1. Ignis excitat somnum, ut patet in tonitru, in explosione sclopeti, in ligno viridi, & alius. Ita Spiritus sanctus in corde peccatoris strepitum facit, qualis erat in urbe Hierusalem, cum in ingressu Christi Domini tota commota est.